MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80151-6

AUTHOR:

GURNIK, ADOLF

TITLE:

ANDOCIDE ORATIONIS CONTRA...

PLACE:

ROSTOCHII

DATE:

1873

Master Negative #

91-80151-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Gurnik, Adolf.

De Andocide orationis contra Alcibiadem auctore. Commentatio philologica quam ...edidit Adolfus Gurnik ... Rostochii, typis Academicis Adlerianis 1873.

18 p. 21 cm.

Thesis. Rostock.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 7-25-91 INITIALS M.D.C.


FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202







Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.


88An6-LN


SIGILLUM COLLEGII COLUMBIÆ NOVI EBORACI.
IN LUMINE TUO VIDEBIMUS LUMEN

DE ANDOCIDE

ORATIONIS CONTRA ALCIBIADEM AUCTORE.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPTAM EDIDIT

ADOLFUS GURNIK,

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXXIII.

De Andocide orationis contra Alcibiadem auctore.

Quatuor nobis in codicibus Andocidis nomine traduntur orationes integrae neque satis firme statui potest, pluresne illius oratoris reliquias cognoverint antiqui, an eae, quas insuper commemorant orationes, pertineant ad easdem, quas ipsi hodieque habemus. In collectis enim narrationibus, quae Plutarchi sub nomine de decem oratorum Atticorum ordine circumferuntur, quum de Andocidis Leogorae vita agatur mentio fit orationis *περὶ τῆς ἐνδείξεως*.

Hanc vero orationem non diversam esse ab ea quae alias inscribitur *περὶ τῶν μυστερίων* oratione vult Taylorus (comment. de Andocidis oration. apud Beckerum, Andocides übersetzt und erläutert, pag. 84), quoniam *ἐνδείξεως* causam Andocides egerit mysteriorum violatorum insimulatus. Quod plane per se rectum esse nemo unquam negavit, rectius tamen judicasse mihi videtur Ruhnkenius (hist. critic. orat. graec. apud Beckerum pag. 97), quum Andocidem multos agitantem et a multis vicissim agitatum facile plures *περὶ τῆς ἐνδείξεως* habuisse orationes opinaretur. Deinde Harpocratio s. v. *ὀῤῥωδεῖν* orationem *περὶ τῆς ἀδείας* laudat. Quem titulum convenisse illi orationi, quae vulgo nomen *περὶ τῆς ἑαυτοῦ καθόδου* sortita est, persuasum mihi habeo. (cf. Sluiteri lect. Andoc. pag. 128.)

Tertia vero quae fertur Andocidis oratio *περὶ τῆς εἰρήνης* ut suppositicia a criticis grammaticisque antiquae jam aetatis reprehensa est neque nostra memoria defuerunt (cf. Krüger, hist.-philolog. Studien II, et Becker, Andoc. übersetzt etc.), qui erroribus permoti historicis orationem ab Andocide abjudicarent. Injuria certe, ut diligentissima explicatione sanoque judicio ostendit Kirchnerus, de Andocidea quae fertur tertia oratione, Berol. 1863; eamque anni 391 aestate vel auctumno compositam esse quum statueret, demonstrata summa dictionis similitudine et in ea *περὶ τῆς εἰρήνης* et in ea quae est de mysteriis oratione Andocidi optimo jure eam tribuendam esse evicit. Superest quarta oratio *κατ' Ἀλκιβιάδου,* quae Andocidis nomine insignita sitne re vera hujus oratoris an removenda sit in posterius artis oratoriae tempus ita ut dicendi exercitationis causa exsistat conscripta minime constat inter homines doctos. Hac de re quicunque sive priore tempore sive nostra memoria disseruerunt, in varias discesserunt ac discrepantes sententias, neque suo jure Meierus orationem in dubitationem videtur vocasse nonnullis, qui argumentis nixi quibusdam et quae commemorantur facinora vera et dictionem Andocideam esse judicant. (cf. Droysen, Rhein. Museum III. pag. 199, Anm. 52; Büttner, Gesch. der griech. Hetärien. Leipzig 1840. pag. 56, Anm. 60.)

I. Sed explicanda est quaestio.

Ordiamur a tempore quo illa oratio habita sit, recte enucleando, ut apte praemuniamus nobis viam, quam ingressi ad reliqua pergamus. Habita esse oratio perhibetur, quum inter Andocidem Niciam Alcibiadem de ostracismo decertaretur et oratorem id egisse manifestum est, ut cumulatis in Alcibiadem conviciis sua de republica Atheniensium merita illustraret adversariumque

exilio dignissimum redderet. At quonam tempore Athenienses ostracismum instituebant de tribus viris illis? Neque Lysias in spuria *κατ' Ἀνδοκίδου ἀσεβείας* oratione neque alius quisquam sive oratorum sive scriptorum neque Andocides ipse hac de re faciunt mentionem et nobis hanc causam agere volentibus aliunde expetenda sunt et inter se conferenda argumenta, quibus eo adducamur, ut aut Andocidem potuisse versari in illa ostracismi decertatione videamus, aut si propter temporum continuationem hoc illi non potuerit contingere, ut orationem suppositam esse statuamus. Inter alia flagitia, quae Alcibiadi ab oratore opprobrio vertuntur, etiam de Melia quadam serva fit commemoratio, quam ex captivarum numero sibi emisse filiique parentem fecisse ille coarguitur. Hoc dici non poterat, nisi ex eo tempore, quo Melus insula capta erat minime decem menses praeterierant. Melii teste Thucydide V. 116 hieme demum anni 416 a. Chr. superati sunt, postquam longam obsessionem fortiter sustinuerunt. Ante hoc tempus orationem habitam esse prorsus negandum est. Expeditionis autem magnificentissimae Atheniensium in Siciliam adparatus jam inde a veris circiter initio instituti (cf. Thuc. VI. 8.) adeo viribus intentis omnibus in dies processerunt, ut jam ineunte mense Julio classis vela dare posset (Droysenii harum rerum computationem egregiam sequor, Rhein. Museum III. pag. 176) in Siciliam, unde neque Nicias unquam neque Alcibiades antea revertit Athenas, quam quum summas perpessus calamitates patriae jam afflictae novus exstitisset vindex. Perspicuum est, illud de Melia serva non potuisse commemorari mensibus septem vel octo ad summum intercedentibus inter Melum insulam captam et classis in Siciliam discessum. (cf. Grote, griech. Gesch., übers. von Meissner III. 319,

Anm. 10.) Quae Droysenius (Rhein. Mus. III. 199, Anm. 52) protulit eo consilio, ut Andocidi vindicaret orationem, Meliam illam mulierem jam per diuturnum obsessionis tempus in Atheniensium manus venisse, ea iterum atque iterum orationis locis perlectis (cf. § 23, 24 ed. Schiller) persuadendi vim mihi non praebuerunt.

Sed age aliud moliamur argumentum, quo orationem minime ad Andocidem posse pertinere multo etiam dilucidius appareat. Andocidis Leogorae annum natalem apud plerosque, qui illius de vita veterum scriptorum notationes collegerunt, in Olymp. 78, 2 (a. 467) remotum esse video (cf. Clinton, fasti Hellen. ed. C. G. Krüger, p. 41), ita ut quae Thucydides I. 51 commemorat de Andocidis praetura contra Corinthios suscepta, ad ipsum referrent oratorem. Adjuvat eorum judicium scholiastae ad illum locum testimonium: *Ἀνδοκίδης ὁ εἷς τῶν δέκα ῥητόρων; ὥς φησιν Ἀκουσίλαος;* neque minus quod indicat Pseudo-Plutarchus: *ἄρχει δὲ αὐτῷ τῆς γενέσεως ὀλυμπιὰς μὲν ἑβδομηκοστὴ ὀγδόη, ἄρχων δὲ Ἀθήνησι Θεογενίδης, ὥστε εἶναι πρεσβύτερον αὐτὸν Λυσίου ἔτεσί που ἑκατόν.* Quo vero in loco quum inter *ἐννέα* et *ὀκτώ* et *ἑκατόν* et *δέκα* fluctuet scriptura et in eo quod legitur *ἄρχει — τῆς γενέσεως* justissima subsit dictionis suspicio; deinde quum Thucydidis scholiastae auctoritas omnino non multum valeat puriorque inquirentibus nobis fons exsistat, eorum quos supra dixi criticorum ratiocinationes refutare et in partes Meieri Vateri Taylori discedere non dubito.

Praeturam illam contra Corinthios vere anni 432, Ol. 87, 1, tribuendam esse Andocidi oratoris avo, qui jam in foedere tricennali (445) componendo rei publicae operam commodarat (Andoc. de pace § 6) evidenter explanavit Frid. Vater, quaest. Andoc. part. I, p. 20. 21.

Neque injuria, ut arbitror. Nullo enim loco Andocides, aliis in rebus locupletissimus suorum meritorum praeco, illius praeturae facit mentionem, neque in oratione de reditu, neque quum totam suam vitam illustrare coactus esset, una tantum vocula attingit militiam. Hoc offendit eo magis, quo pluribus majores exornat laudibus, cf. *περὶ μυστ.* § 147 (Schiller): *οἳ πλείστας μὲν στρατηγήσαντες στρατηγίας πολλὰ τρόπαια τῶν πολεμίων καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν ὑμῖν ἀπέδειξαν, πλείστας δὲ ἄλλας ἄρχας ἄρξαντες καὶ χρήματα διαχειρίσαντες τὰ ὑμέτερα οὐδὲν ἂν πώποτε ὦφλον, οὐδ' ἡμάρτηται οὐδὲν οὔτε ἡμῖν εἰς ὑμᾶς οὔτε ὑμῖν εἰς ἡμᾶς, οἰκία δὲ πασῶν ἀρχαιοτάτη καὶ κοινοτάτη ἀεὶ τῷ δεομένῳ κτλ.* Hac in sententiarum connexione quum orator vehementissime id ageret ut majorum erga rempublicam beneficiis in civium memoriam revocatis sibi ipsi indulgentiam impetraret, suam putasne operam neglexisse Andocidem? Minime vero et lepidissime Meierus huc spectans haec facit verba: „Tacens disertius loquitur contra se quam mille testes ex farina Pseudo-Plutarchi pro ipso loqui possunt. (cf. Meieri opusc. acad. p. 98.) Patet igitur, quum Pseudo-Plutarchi testimonium illud, quamvis Olympiadem et archontem Atticum quasi ex actis publicis afferat, abnuendum sit, aliam nobis aperiendam esse viam, qua tutius progredi liceat ad Andocidis aetatem recte constituendam. Et est progrediendum a sola Lysiae notatione *κατ' Ἀνδοκίδου ἀσεβείας* § 46 (ed. Scheibe) *ἀλλ' οὐδεπώ ποτ' ἐκ τῆς πόλεως ἐστρατεύσατο, οὔτε ἱππεὺς οὔτε ὁπλίτης, οὔτε τριήραρχος οὔτ' ἐπιβάτης, οὔτε πρὸ τῆς συμφορᾶς οὔτε μετὰ τὴν συμφοράν, πλέον ἢ τετταράκοντα ἔτη γεγονώς.* Haec vero Lysiae oratio jam Harpocrationi s. v. *φαρμακός* suppositicia videbatur esse atque in eandem sententiam descenderun

Ruhnkenius, Sluiterus, lect. Andoc. c. 8. p. 112: „in eandem incidamus cogitationem necesse est, non illam a Lysia fuisse conscriptam (orationem), neque in fori lucem productam, sed in scholae umbraculis ad formam orationis forensis confectam foetumque oratori temere suppositum“; A. G. Becker, Andoc. p. 5—7; Falk, Lysias übers. etc. p. 68 squ. Hölscherus, vero, de Lysiae vita et scriptis p. 67 eam vindicat Meleto et *δευτερολογίαν* esse existimat. Utcunque haec res se habet, quum in oratione multa insint accuratissime dicta neque ullo loco quae laedant temporum rationem exstent, auctorem Andocidis tempore vixisse inde recto judicio colligi potest. cf. Hölscher, p. 63—66.

Sed redeamus ad Andocidem. In oratione illa quum adversarius loco laudato Andocidem quadragenario majorem civitati unquam profuisse quidquam neget, ridicularia dixisset, si Andocides jam fuisset duodeseptuagenarius, omnesque, qui vel conjecturis vel interpretationibus copiosissimis ea tollere studuerunt, quae his in verbis illi Thucydidis I. 51 relationi contradicunt, simplicissimum mihi neglexisse videntur, quoniam Andocidis ipsius defensionem minus attente perlegerunt neque observarunt hanc apologiam minime potuisse proficisci a sene duodeseptuagenario. Quae *περὶ τῶν μυστερίων* oratio (an. 400, Olymp. 95. 1.) quum omnino nullum prae se fert senectutis signum tum singulis locis luculenter virili aetate florere oratorem testatur. Jam videas quae leguntur § 148: *τίνα γὰρ καὶ ἀναβιβάσομαι δεησόμενον ὑπὲρ ἐμαυτοῦ; τὸν πατέρα; ἀλλὰ τέθνηκεν· ἀλλὰ τοὺς ἀδελφούς; ἀλλ' οὐκ εἰσίν· ἀλλὰ τοὺς παῖδας; ἀλλ' οὔπω γεγένηνται.* Quae si senex dixisset coram populo, jure esset explosus ab omnibus. At ne temere et ex nostri ipsius animi sententia verba fecisse videamur, aliud

insuper afferre possumus argumentum, quod quam fortiter resistat vulgari calculo jam fusius explicavit Fr. Vater, quaest. Andoc. I. p. 34. 35. Sunt verba quae in oratione *περὶ τῶν μυστ.* inde a § 117 leguntur quibusque orator suae cum Callia discordiae originem patefacit. Narrationem inde a § 117 usque ad § 123 (editionis Schillerianae) integram hoc loco reddi non opus esse existimavi; qui vero legerit eam, duodeseptuagenarium loqui negabit, sed virum validum et in amore et in subeundis periculis. Postremo serae hae nuptiae, quae commemorantur, adversariis causam praebuissent idoneam, propter quam praeter alia Andocidi etiam effrenatae libidinis aut aliud simile crimen inferrent, avaritiae quidem non potuerunt, nam Epilycus angustis laborabat facultatibus, § 118: *τὰ δὲ πράγματα τὰ οἴκοι πονήρως εἶχε.* Sed tacent neque ipse orator quidquam hujusmodi dixit in apologia.

In oratione denique, quae est *περὶ τῆς ἑαυτοῦ καθόδου* Andocides quae a se post Hermas dejectos commissa sunt juvenili tribuit imperitiae § 7: *ὃς εἰς τοσοῦτον ἦλθον τῆς ἐμαυτοῦ δυσδαιμονίας, εἴτε χρὴ εἰπεῖν νεότητί τε καὶ ἀνοίᾳ εἴτε καὶ δυνάμει τῶν πεισάντων κτλ.* Putasne tali modo locutum esse virum, qui eo tempore jam septimum agebat et quinquagesimum annum?

Quid vero est, quod disputationibus nostris sumus consecuti?

Hoc unum certe patere credo, Andocidem natum esse non Olymp. 78, 2, sed ex illa quam supra laudavi Pseudo-Lysiae adnotatione esse statuendam Olymp. 84, 2.

Hoc jacto fundamento firmo conclusionibus liceat properare ad muneris nostri metam. Si Andocides anno quadringentesimo quadragesimo tertio natus est, neque

praeturam, quam Thucydides I. 51 commemorat, potuit suscipere neque subire legationes, quas in oratione contra Alcibiadem enumerantur. Testatur hoc insuper oratoris ipsius argutum silentium in orationibus genuinis et quod neque apud Pseudo-Plutarchum neque apud Pseudo-Lysiam hujus generis quidquam reperitur. Quae quum ita sint, orationem nostram, de qua quaeritur ipse pro se habere non potuit propter juventutem annum circiter vicesimum octavum agens, praesertim quum ante Hermas mutilatos neque memorabile quidquam gessisse neque aliam ob causam in hominum ore videatur fuisse. Inter recentiores viros doctos de vita oratoris nostri ac scriptis copiosius egit Frid. Blass (Geschichte der att. Beredtsamkeit, Leipzig 1868, p. 271 sq.), qui ad eundem ad quem nos pervenit exitum Andocidemque anno ca. 440 natum esse ostendit. Qua in explicatione idem nititur in Pseudo-Lysiae contra Andocidem oratione, quam tempore posteriore confectam esse probabili judicio confirmari posse plane negat et sermonis consuetudinem Lysiae ab aetate minime alienam et crimina Andocidi a sycophanta objecta haud absurda esse luculenter demonstrans (cf. p. 566 sq.), etiamsi auctorem ipsum verbis appellare considerate vitat Meletumque Hölscheri repudiare abhorret.

II. His demonstratis alteram aggrediamur opusculi nostri partem, qua utrum ab aequali Andocidis profecta sit oratio an omnino ne tempore quidem illo conscribi potuerit aperte doceamus. Ac primum quidem examinandum erit, quod viri doctissimi J. Taylorus (J. Taylori commentatio lectionibus Lysiacis Cap. VI. p. 258 ed. Reiske inserta; apud Beckerum p. 83—95) et Fr. Vater (Neue Jahrb. für Philol. von Jahn, suppl. XI. 1845) de Phaeace orationis auctore in medio posuerunt. Praeterea his de rebus, quas sum acturus, conferas disputationes

Valkenarii apud Sluiterum, lect. Andoc. p. 10—15 et Meieri opusc. academ. p. 143—150. J. Taylorus quidem tres ponit notas ex oratione desumptas, quibus auctor possit dignosci, deinde has notas in Phaeacem Erisistrati convenire contendit. Nam inter Phaeacem et Niciam et Alcibiadem institutam esse ostracismi decertationem inter omnes constare; deinde quae proferat orator § 34. *ἀλλὰ μὴν εἰ δεῖ κατὰ γένος σκοπεῖν ἐμοὶ μὲν οὐδαμόθεν προσήκει τούτου τοῦ πράγματος* — haec congruere cum Phaeace neque domo admodum nobili neque majorum gloria claro, postremo a Phaeace legationes obitas esse Thucyd. V. 4 teste probari. Jam vero quae secundo loco in rem suam attulit Taylorus prorsus sunt amovenda, quia sententiarum cohaerentia postulat, ut non gentem vel clariorem vel obscuriorem sed jam antea ostracismo ejectos intellegamus. Orator enim exilium suo generi numquam, Alkibiadis vero saepius evenisse dicit. Prima vero et tertia nota ita cadunt in Phaeacem, ut ab eo non abhorreant, ut potuerint de eo certe praedicari, sed tamen tantam persuadendi vim non habent ut venustae et ingeniosae Taylori disputationis exitum possint stabilire: „Tu, lector, constanter ubi tempus ad eam rem tulerit, meae famae periculo cites orationem Phaeacis contra Alcibiadem."

Eo autem valent ut quicumque demum fuerit orationis auctor, ab eo vel Phaeaci vel ex persona Phaeacis scriptam eam dicas; „nam (Meieri verbis utor p. 150) cum Alkibiades Niciasque semel omnino idque cum Phaeace de ostracismo decertasse narrentur, ea narratio, in cujus principio actor profitetur sibi adversus illos duumviros ostracismi certamen esse, non potest ex alius actoris persona scripta esse quam ex Phaeacis, nisi vel ea in re ab auctore dicas contra rerum fidem et memoriam

peccatum esse. Eam igitur narrationem, qua de testularum suffragio inter tres illos principes viros disceptatum esse ferebatur, legit personatus orator, eam pro fundo habuit, cui suam declamationem superstrueret.“ — Porro Taylorus, ut suam certiorem redderet sententiam, illum Plutarchi locum (in vita Alcib. cap. 13. *φέρεται δὲ καὶ λόγος τις κατ' Ἀλκιβιάδου καὶ Φαίακος γεγραμμένος, ἐν ᾧ μετὰ τῶν ἄλλων γέγραπται καὶ ὅτι τῆς πόλεως πολλὰ πομπεῖα χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ κεκτημένης Ἀλκιβιάδης ἐχρῆτο πᾶσιν αὐτοῖς ὥσπερ ἰδίοις πρὸς τὴν καθ' ἡμέραν δίαιταν·*) sic emendavit ut ex codice ms. Ald. scriberet ,,*ὑπὸ Φαίακος γεγραμμένος*. Hanc vero orationem unam eandemque esse atque eam quae Andocidis prae se ferat nomen declamat verbaque quae in ea Phaeacis oratione exstare dicuntur, ad ea refert, quae in nostra oratione legimus § 29: *τὰ πομπαῖα παρὰ τῶν ἀρχιθεωρῶν αἰτησάμενος ὡς εἰς τἀπινίκια τῇ προτεραίᾳ τῆς θυσίας χρησόμενος, ἐξηπάτησε καὶ ἀποδοῦναι οὐκ ἤθελε, βουλόμενος τῇ ὑστεραίᾳ πρότερος τῆς πόλεως χρήσασθαι τοῖς χρυσοῖς χερνιβίοις καὶ θυμιατηρίοις*. Sed minime hi loci sunt iidem et verbis vehementer distantes et sententia discrepantes. Plutarchus enim l. l. Alkibiadem vasa sacra ad quotidianos usus et profanos adhibuisse adnotat, quod contra fas poterat perpetrare, si in arce aerarii praefectorum unus erat (cf. Böckh, Staatshaushalt 2. Ausg. 1. p. 280); orator vero in illud invehitur, quod Alkibiades vasa ad pompam et commissationem Olympicam mutuatus postridie reddere noluerit, quum publica fieret pompa. Hac igitur in interpretatione Taylorum valde errasse videmus ac restat, ut etiam scripturae emendationem pensitemus, sitne necessaria an possit intellegi scriptor sine ulla mutatione. *Φέρεται δὲ λόγος τις κατ' Ἀλκιβιάδου καὶ Φαίακος γεγραμμένος*

ita mihi interpretandum videtur, ut a Plutarcho obscuram aliquam et ignobilem (*λόγος τις*) orationem citatam esse concedamus eamque nomine Phaeacis ornatam; ac si verba premere libet etiam cum Meiero (p. 148) jam Plutarcho suspectam fuisse Phaeacis auctoritatem possumus dicere, si legimus *ὡς Φαίακος* (Bähr, Alkib. p. 125 *ὑπὸ Φαίακος;* injuria). Fr. Blass, l. l. p. 330 proponit *ὑπὲρ Φαίακος* ita ut orationis auctore plane neglecto Phaeax videatur defensus. Utcunque haec res se habet, quum ad liquidum pervenire nequeamus neque quae Plutarchus commemorat verba consentiant cum nostrae orationis reprehensione tantum abest ut Phaeaci tribuamus orationem sine ulla dubitatione, ut alia certiora poscamus fundamenta. Post Taylorum, qui Tib. Hemsterhusium (cf. Sluiter p. 10) in suam pertraxerat sententiam, Fr. Vater in commentatione copiosiore orationem Phaeaci vindicare conatus est. Qui quum ipse profiteatur: „illud momentum chronologicum, quo jam removi omnem justam dubitationem, non adhibuit Taylorus, licet gravius quam reliqua omnia sit, ita ut si quis me refutare studuerit, reliqua omnia ultro concessurus sim, si potuerit hoc infringere“, videndum nobis erit, consistatne tam firme illud momentum an possit concuti. Vater orationem contra Alcibiadem in celeberrima ista causa habitam esse suspicatur, quum inter Niciam, Phaeacem, Alcibiadem Hyperbolo plebem exacerbante ostracismi certamen ageretur. Quam quum ultimam fuisse decertationem ex testibus locupletibus argumentetur ulli alius temporis puncto hanc orationem assignari posse plane negat Phaeacemque patrem existimat quum ex illo Plutarchi loco (Alc. 13), tum quod de ejus certamine alii quoque rerum scriptores verba faciunt. Eo autem argumento non est abutendum, quod post Hyperbolum exactum patria pri-

vatum esse ostracimo quemquam negant antiqui auctores, nam poterat sane de ostracismo institui certamen tamenetsi res carebat eventu. Tacite lex abrogata videtur, cum Euclide archonte legibus singulis in examen revocatis non reciperetur in probatarum legum numerum. Sed age concedas a Vatero omnia accommodate dicta ad persuadendum, quomodo temporum ratio se habet? Theopompi fragmentum apud scholiasten ad Aristoph. Vesp. v. 1001 haec praebet: *Θεόπομπος δὲ φησὶ καὶ τὸν νεκρὸν αὐτοῦ καταποντωθῆναι γράφων ὅτι ἐξωστράκισαν τὸν Ὑπέρβολον ἓξ ἔτη· ὁ δὲ καταπλεύσας εἰς Σάμον καὶ τὴν οἴκησιν αὐτοῦ ποιησάμενος ἀπέθανε·* Meineke, fragm. omic. graec. vol. I, 193 emendavit *δέκα ἔτη·* Injuria, ut arbitror, nam simplicem verborum sensum rectissime explicavit Hertzberg, Alcibiad. p. 136, Anm. 35: „sie verbannten den Hyperbolus durch den Ostracismus und in solcher Verbannung lebte er sechs Jahre." Ex Thucyd. VIII, 73 discimus, Hyberbolum anno 411 ineunte esse interfectum et hanc adnotationem si apte conjungimus cum illis Theopompi verbis, Hyperbolum ostracismo expulsum esse ineunte anno 417 apertissime patet. Quae quum ita sint credisne Vaterum optimo jure niti in suo chronologico momento? Quod si obtinere studet, Oedipode aliquo opus est, qui nobis illam de muliere Melia capta fabulam acutissime interpretetur. — Postremo postquam ea argumenta refutavimus, quibus oratio contra Alcibiadem Phaeaci vindicaretur et nonnulla praedicari tantum de Phaeace annuimus superest ut orationem ipsam inquiramus, utrum in illorum temporum cadat consuetudinem an posteritatis prodat signa.

III. Jam vero erit inspiciendum, quonam jure orator potuerit invehi in Alcibiadem propter tributa sociorum duplicata. § 11—13. *σκέψασθε κτλ.* Fuerintne re vera

Athenienses tanta erga socios moderatione tantaque clementia necessario quaeritur, ut orator quispiam Alcibiadis contra illorum salutem iniquitate memorata acerbissimeque castigata se ipsum gratum acceptumque redderet civium auribus? Notissimum autem est illud a Pericle dictum, quum ineunte bello quod vocatur Peloponnesiacum Atheniensium dominationem describeret: (Thuc. II. 63) *ὡς τυραννίδα γὰρ ἤδη ἔχετε αὐτήν* (sc. *τὴν ἀρχήν*), *ἣν λαβεῖν μὲν ἄδικον δοκεῖ εἶναι, ἀφεῖναι δὲ ἐπικίνδυνον.* Neque minus crudeliter annis, qui deinceps insecuti sunt, socii tractabantur a viris illis popularibus, qui post infestum Periclis discessum civium conciones regebant. Cujus rei testimonium quum saevum illud supplicium praebet, quod Athenienses sumpserunt de Lesbiis Cleone acerba oratione stimulante (Thuc. III, 37—41), tum comicorum et in primis Aristophanis fabulae exhibent. Quid dicam de Babyloniis (anno 426)? Quae comoedia quoniam Dionysiorum docta erat sollemnitate, cui legati sociorum intererant ac spectabant, quo pacto poëta ipsorum causam ageret contra inhonestorum hominum impotentem dominationem, gravissimam Cleonis iram excitavit in Aristophanem. (cf. Meineke, fragm. com. II. 971 sq.) Porro quis est qui nesciat famosissimos versus apud Aristophanem in Pacis initio v. 169 sq.

— ὡς ἤν τι πεσὼν
ἐνθένδε πάθω τοὐμοῦ θανάτου
πέντε τάλανθ' ἡ πόλις ἡ Χίων
διὰ τὸν σὸν πρωχτὸν ὀφλήσει.

(scholiast: *ἅμα μὲν ὡς Χίων διὰ μαλακίαν εὐρυτέρων ὄντων καὶ ἑτοίμων πρὸς τὸ ἀποπατεῖν, ἅμα δὲ ὡς ἐκ πάσης προφάσεως τῶν Ἀθηναίων συκοφαντούντων καὶ ζημιούντων τὰς πόλεις* (Arist. Pac. ed. Richter, 1860.) Denique ne de pristinis tantum temporibus

documenta attulisse videamur, quae quid Athenienses ipso nostrae orationis aetatis puncto sentirent minime comprobarent crudelissimo Meliorum supplicio in memoriam revocato sufficiat Thucydidis verba repetere, quibus egregie rationem politicam denotavit, quam tum Atheniensium populus sequebatur, Thuc. V. 105: *ἡγούμεθα γὰρ τότε θεῖον δόξῃ, τὸ ἀνθρώπινόντε σαφῶς διὰ παντὸς ὑπὸ φύσεως ἀναγκαίας, οὗ ἂν κρατῇ ἄρχειν.* Hoc validioris jure contenti neque juris gentium neque consuetudinis habita ratione rem publicam temperabant Athenienses viresque erga socios exercebant ita ut in dies una vel altera insula jam cogitaret de defectione. Quibus rebus breviter explanatis credibile mihi non videtur ullum Atheniensium civem iniquitatis adversarii et crudelitatis in socios memoria usum esse ut in populi odium et invidiam traheret utpote eadem sentientis. Praeterea autem crimen illud duplicatorum tributorum, quod per *αὔξησιν* oratoriam infestissimis verbis Alcibiadi infertur, tantum ex parte verae rerum conditioni respondet, quia jam priusquam Alcibiades accessisset ad rem publicam, redituum summa ab iis, qui populum regebant, sensim aucta est. cf. Plut. Arist. 24: *Περικλέους δὲ ἀποθανόντος ἐπιτείνοντες οἱ δημαγωγοὶ κατὰ μικρὸν εἰς χιλίων καὶ τριακοσίων ταλάντων κεφάλαιον ἀνήγαγον.* Neque tamen plane est abnuendum Alcibiadem quoque data opportunitate auxisse tributa (cf. Böckh, Staatshaushalt I. 525 sq.); hoc autem facto eum in majorem populi gratiam venisse statuendum est, quippe qui magnis indigeret pecuniis quum ad belli diuturni sumptus tum quod in administranda re publica opus esset multis facultatibus ad stipendia varii generis solvenda, ad exstruenda templa et simulacra et ad dies festos solemniter celebrandos. (cf. Plut. Arist. 24.) At quae sequuntur in oratione

nostra verba perpendamus § 12: *τοιγάρτοι διὰ ταῦτα* i. e. propter aucta tributa — *πολλοὶ τὴν πατρίδα τὴν αὑτῶν ἀπολιπόντες φυγάδες γίγνονται καὶ εἰς Θουρίους οἰκήσοντες ἀπέρχονται·* Thuriorum respublica, quorum conditorum de tempore viri docti mirifice inter se dissentiunt neque certi quidquam statui posse videtur (cf. Clinton, fasti Hellen. Olymp. 84, 2. a. 443) simulatque opes creverunt, iisdem motibus, quibus universa Graecia, agitari coepta est neque verisimile mihi videtur, insulanos illos quamvis domi graviter premerentur, emigrasse in urbem, cujus rerum status incertus atque infirmus apparebat etiamsi haec urbs jam inde ab Olymp. 86, 3 dubia erat et suspecta fide in Athenienses. (cf. Böckh, Staatshaushalt I. 526). Sed licet emigraverint, quid inde necessario sequitur? Refertam existimo urbem fuisse hominibus quum Atheniensibus tum Alcibiadi infestissimis, quorum numerus tum (ineunte anno 415) in dies augebatur (nam dicit orator *ἀπέρχονται*). Attamen Alcibiades ipse ad Thurios confugit, quum per Salaminiam (mense Aug. 415) ad judicium capitis subeundum Athenas revocatus esset. Qua oblata opportunitate tantum aberat ut Thuriorum incolae Alcibiadis ulciscerentur injuriam ut eum comitesque absconderent celarentque Athenienses. — Alia res restat tractanda minus accurate tradita § 13: *τελευτήσαντος Ἱππονίκου στρατηγοῦντος ἐπὶ Δηλίῳ.* Quae vero verba quum obsint Thuc. IV. 90. 94. Plut. Nic. 6. Diod. XII. 69, ubi Hippocrates Atheniensium dux memoratur, Meierus primum (index Gryphiswald 1821) conjiciendum esse *στρατεύοντος* opinatus deinde vero C. W. Krügeri disputationi est assensus, qui (Proleg. in Xenoph. sympos. p. XII) Hipponicum tandem Olymp. 89, 3. an. 422 obiisse censet. Hoc utut est, mirum certe nobis videtur, aequali memoria lapsum esse nomen cla-

rissimi hominis, qui ante decem circiter annos (an. 424) exercitui praefuerat isque in ea Atheniensium funesta clade, in qua Alcibiades et magnum et honestum animum suo periculo probasse perhibetur (cf. Plut. Alc. VII.). Oratorem vero nostrum quum cives audientes tam exigua fuisse memoria putet, ut quae superioribus acciderant annis omnibusque necessario erant notissima prolixius exponere conetur vel tarda sententiarum conformatione usus (§ 41: *βούλομαι κτλ.*), coram Atheniensium populo sine ulla garrulitatis reprehensione verba fecisse minime existimo et haec omnia docti alicujus hominis ex animo prodiisse malim, quam oratoris ex ore, qui virorum animos movere appetit et sententiarum gravitate et apta verborum enunciatione. Neque minus eandem doctae loquacitatis speciem prae se ferunt quae § 3 sq. leguntur de ostracismo inique instituto et § 33 de Cimonis exilio propter sororem uxoris loco habitam ita ut illorum temporum naturam, qualem ceteris e documentis cognoscimus, omnes in partes videantur delere. Alia aliis locis exstant, quae quum orationi re vera coram populo in concione habitae repugnant tum opusculum dicendi exercitationis causa confectum esse comprobant ab homine quodam docto, cui Alcibiadis vita famosissima contumeliarum copiam uberrimam suppeditabat. Inferioris vero aetatis vestigia vel inde apparent, quod omne dicendi genus abhorret et ab Andocide et ab aequalibus Isocrateoque sermoni maxime convenit. (cf. Blass, Gesch. der att. Ber. p. 331.) Auctorem vero haud ambiguum posse proponi mihi persuasum non habeo.


COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
91

